

De Boni Pastoris

A Persona <small>[pag. 1-207]</small>	CAP. I. De eius sanctitate <small>[pag. 2-80]</small>	Artic. I. - De humilitate . . . Pag. 2 » II. - De regularitate . . . » 19 » III. - De patientia . . . » 31 » IV. - De caritate . . . » 46 » V. - De fortitudine . . . » 35 » VI. - De oratione . . . » 66
	CAP. II. De eius prudentia <small>[pag. 81-163]</small>	Artic. I. - De prudentia in ge- nere » 81 » II. - De eius generalibus adjumentis » 94 » III. - De ovium agnitione » 107 » IV. - De ad hoc peculiaribus industriis » 118 » V. - De peculiari pruden- tiae praxi » 140
	CAP. III. De eius justitia et aequitate <small>[pag. 164-200]</small>	Artic. I. - De correctione in ge- nere » 164 » II. - De eius condicioni- bus » 174 » III. - De emulatione . . . » 198
	CAP. IV. De eius scientia <small>[pag. 201-207]</small>	Artic. I. - Quae et quanta esse debeat » 201
a) Quoad utramque admini- strationem <small>[pag. 208-257]</small>	CAP. I. Praeliminaria <small>[pag. 208-221]</small>	Artic. I. - De paroecia eiusque Curatoris canonica condicione » 208
	CAP. II. De Pastoris relationibus <small>[pag. 222-245]</small>	Artic. I. - Erga Superiores . . . » 222 » II. - Erga Aequales . . . » 240 » III. - Erga inferiores ecclae- siasticos ac domesti- cos » 248
	I. In genere . . . <small>[pag. 258-300]</small>	Artic. I. - Praeliminaria » 258 » II. - De divino cultu in genere » 276 » III. - De divino cultu in specie » 284
b) Quoad administra- tionem spi- ritualem <small>[pag. 258-590]</small>	CAP. I. De Sacramentis <small>[pag. 301-418]</small>	Artic. I. - De Sacramentorum ad- ministratione gene- rali » 301 » II. - De Baptismo, Confir- matione ac Ordine » 305 » III. - De Poenitentia . . . » 314 » IV. - De Eucaristia . . . » 379 » V. - De Matrimonio . . . » 402 » VI. - De Extrema Unctione eiusque adjunctis . . . » 454
	II. In specie <small>[pag. 301-510]</small>	Artic. I. - De Decalogi Praece- ptis » 469 » II. - De Ecclesiae Praece- ptis » 486
	CAP. II. De quibusdam decalogi et Ecclesiae praceptis <small>[pag. 469-498]</small>	Artic. I. - De directis » 499 » II. - De indirectis » 562
	CAP. III. De eius adjumentis <small>[pag. 499-590]</small>	Artic. I. - In genere » 591 » II. - In specie » 624
c) Quoad administrationem tem- poralem. [pag. 591-624]		

PARS PRIMA

DE BONI PASTORIS PERSONA

EIUSQUE GENERALIBUS OBLIGATIONIBUS

Quaenam boni Pastoris [qua talis] generales qualitates sint perscrutanti, tamquam omnium compendium facile caritas occurrit, qua Parochi affectus ac cogitata, tum erga Deum ac maiores Praelatos, tum erga animas adeo indefesse flagrare debent ut [Ecclesiae Sanctae iuxta vota] dominicum gregem ad vitae cristianae finem asse-
quendum perducere valeat. *Finis, enim, praecepti caritas est, perfectio legis*¹, *mandatum consummatum, a quo omnis lex pendet et Prophetae*², *sine qua impossibile est placere Deo, et ad consortium filiorum Dei pervenire*³, eoque minus subditorum animas perducere. At-
tamen, quoad peculiariter ipsum propositum nostrum spectat, ad maiorem boni Pastori afferendam utilitatem, hanc ipsam caritatis virtutem enucleatus exponere peropportunum ducimus. Hac autem, ratione praecellentis huius virtutis solis radiis qui in Parocco splendescere debent ita distinguemus ut de eius sanctitate primum, de prudentia deinde, deque iustitia ac scientia demum dicamus.

¹ I Timoth. I, 5.

² Matth. VII, 12.

³ S. Ioann. Chrysostom. *Homil.*

XXIV.

CAP. I.

DE BONI PASTORIS SANCTITATE

Huius capituli argumentum tantum latissime patet quantum christiana observantia ad quam omnes Ecclesiae filii continuo tendere debent. Enimvero [ut loco suo aptius explanabimus] ut Pastor adeo regulae vivat ut, tanquam in speculo, vivam ecclesiasticae perfectionis imaginem fideles conspiciant, non solum decet, sed et expedit omnino. Hinc, virtutibus omnibus, quibus vitae ecclesiastica, exemplar fulget, in Pastore suppositis, peculiares eius animi qualitates, quibus eius sanctitatis gradus tanquam coeteris praefectus constat, humilitatis, regularitatis, patientiae, fortitudinis ac orationis spiritu [quibus tantum eius praeclarissimo ac permagni momenti regimini altum firmumque fundamentum praestituitur] veluti definiuntur.

Articulus I.

DE BONI PASTORIS HUMILITATE.

§ I. — De hac virtute generatim.

SUMMAE RERUM. — 1. De huius virtutis in Pastore necessitate. — 2. Praecipua in re obstacula recoluntur. — 3. Quae rationes humilitatem Pastori suadeant, et ad rem normae.

1. — Quemadmodum peregrinantibus si contingat per sylvestria incedere loca in quibus vel indomitae ferae, seu latrunculi viatores depredari cupientes latent, ut coepit iter secure peragere valeant, maxima adhibenda est prudentia, ita qui ad populi Dei regimen assumuntur, aut tantum humilitatis, seu fraternae maternaeque servitutis exercendae causa pastorale ministerium assumpserint, attente considerare debent. Totius, enim, ecclesiastici regiminis fundamentum humilitas est, quo deficiente contra Ecclesiae mentem supervacue, immo perniciose, laborasse Pastores deprehendentur; nam in ipso doctrinae verbo non humiles sed immo arrogantes ipsi existunt, et ipsa recta quae praedicant non correctionis studio, sed elationis vitio enunciant, quo virtutis panem in veneni vitium vergunt: potiusquam, enim, emendare, vulnerare ipsi norunt. Nec mirum; corrigere quippe caritatis est opus, necare vero

superbiae; subditis ministrare Apostolorum, eis vero dominari tyrannorum vel saltem subversorum est, quum nulla pax, nullus ordo, quies nulla ubi superbia invalescit, qua adeo caritas refrigescit ut ruinae tantum contumeliaeque habeantur. Enimvero quid tam sanctum quod non contemnat elatio, aut quid tam iustum quod tumidi et elati viri animus non violet? Adeo, enim, rationis prudentiaeque lumen arrogantia extinguere solet ut, omni iam humanitate posthabita, in saevam mutetur naturam, pronam prorsus interturbare, concutere, subvertere omnia, unde fit ut superbi regimen Deus negligat, et in miseram ruinam odysseamque precipitem ruat. Enimvero Pastores elati [si qui adsunt] quum non animarum bonum, nec Dei gloriam querant, sed suam a fidelibus exigant, sibi subiectos non regunt, sed tyramnice premunt. At nil peius quam potestatem peccandi libertatem habere, nihilque male agendi felicitate infelicius, in *Sancta praesertim Ecclesia*, cuius *sublimitas si magna est, attamen austera et superba non est*¹. *Regnantibus*, enim, *impiis ruinae hominum*², et *cum impii sumpserint principatum, gemet populus*³. Nil, igitur, mirum si Deus *depositus Potentes de sede et exaltavit humiles*⁴, si *domum superborum demolietur Dominus*⁵, si ipse oculos sublimes odit⁶, et ei *abominatio est omnis arrogans*⁷. E contrario *ubi est humilitas, ibi est sapientia*⁸, *requiescam super humilem, quietum et timentem sermones meos*⁹; nam per humilitatis bonum Sancti Spiritus Pastores sedes fiunt, quem, dum in se mansurum recipient, eius donis plenus replentur. Hisce mediantibus [ut humilius publicanus et pharisaeus elatus testantur] per humilitatem ad summum scanditur bonum, qua deficiente de summo decurritur in infernum. Horre igitur, o Pastore, Luciferum de coelo cadentem, intuere Lazarum humiliiter iacentem et in sinu Abrahae laetanter ab Angelis elevatum. Licet Deus dives sit in gratia, attamen soli humili confert gratiam; humilitas meretur quod meritis non debetur: ipsa percipit quod littera non docetur: haec casum nescit, quia numquam de se magna praesumit. — Nec satis; pastorale, enim, regimen nonnisi ad Domini Apostolorumque exempla conflari potest: Deus vero *disponit omnia suaviter*¹⁰, ac Servator Noster monet: *Discite a me quia misericordia sum et humilis corde*¹¹, *quicumque voluerit inter vos maior fieri sit vester minister, et qui voluerit inter*

¹ S. Gregorius Magnus, in *I Reg. Lib. VI, cap. 3.* ⁶ Prov. VI, 17.

² Prov. XXVIII, 12. ⁷ Id. XVI, 5.

³ Prov. XXIX, 2. ⁸ Id. XV, 25.

⁴ Luc. I, 15. ⁹ Id. XI, 2.

⁵ Prov. VI, 17. ¹⁰ Sapient. VIII, 1.

¹¹ Matth. XI, 29.

*vos primus esse erit vester servus*¹. Quod plane et Apostoli ad unguem servavere, ut de eorum Principe scriptum legimus, qui a Cornelio neophyto sese humiliter prosternente honorari recusavit seque illi similem recognovit, dicens: *Surge et ego ipse homo sum*². Paulus vero fratribus bene agentibus Praelatum se esse nesciebat cum diceret: *Non quia dominamur fidei vestrae, sed adiutores sumus gaudii vestri*³...; *facti sumus parvuli in medio vestrum*⁴; et rursum, *nos autem servos vestros per Christum*⁵. Quod et Pastores boni agunt qui, quanto celsiores sunt meritis, eo planiores sunt per virtutem humilitatis; quanto magis eorum potentiam exterius cernitur, eo tenuorem de se ipsis opinionem fovent, ac quanto coeteros loco antecedunt, tanto maiori humilitate se ipsis depriment, ut omnibus serviant ac prosint, omnesque Christo lucrifaciant⁶. Enimvero opus non dignitas, labor non deliciae, immo opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio, animalium regimen est, et non tantum ut praesint, sed [et praesertim] ut, praesidendo, prosint Pastores assumuntur. Ad rem vero sarculo opus est, non sceptro, quem Parochus non regnaturus, sed extirpatus praelaturam ascendat, haereditatem suam in Christi cruce, in laboribus plurimi possideat, et administratio non dominatio eius apostolica regiminis forma sit, qua patris familias ad instar, non quasi domini, sed Dei Ecclesiaeque procuratoris ad instar, gregem dominicum administret. Enimvero, tunc tantum pastorale regimen utile evadit quum bene habetur; bene vero habetur quando fidelibus prodest quibus praeficitur, quod humilitatis tantum gratia, assequi licet. — Insuper quum qui [superbia suadente] in subditis potentia passim abutuntur, veram sinceramque subjectionem haud inveniant, homines in nullos magis insurgunt quam in eos quos imperium in se affectare sentiscunt; e contrario, remissius humiliisque imperanti promptius parentur, et potentia humiliter exercita, omnia quaesita conservat. — Tamdem cogitare quid sub Praeposito aut volueris, aut nolueris, ad humile obtinendum regimen utilissimum documentum est. D. Gregorii igitur monumentum continuo memineris: *praelatio ministerium humilitatis*⁷.

2. — Obstacula difficultatesque in re fere omnes in regiminis ipsa conditione continentur, in qua perraro humilitas potestati copulatur. Nam si multi sunt qui, dum regimen ambiunt, humilitatis per-

¹ Matth. XX, 27.

² Act. Apostolor. X, 26.

³ II Corinth. I, 23.

⁴ I Thessalon. II, 7.

⁵ II Corinth. IV, 21.

⁶ Cfr. Concil. Plenar. Baltimor. II

[a. 1896] tit. 3, cap. 2.

⁷ Regula Pastoral., Par. II, cap. 3.

vias se ambulare profitentur; quando vero ad illud pervenerint, ad apostasiam confestim labuntur, ac sponsonis sua fortitudinem tenere adeo omittunt ut, post acceptum Gratiae donum, efflant in passiones desideriorum et, super candelabrum constituti, lumen in fumum ac tenebras convertunt. Tanto se tumore cordis extollunt ut cunctos subditos in comparatione sui despiciant, ac eorum fraternalm condicionem quibus praesunt parvipendant. *Omnis, enim, homo primum bonum vinum ponit, cum vero inepti fuerint id quod deterius est*⁸; *quod et D. Sapientia monet: Est qui stultus apparuit postquam elevatus est in sublime*⁹; *est qui nequiter se humiliat, et interiora eius plena sunt dolo*¹⁰. Quod [certa quadam ratione] humanae infirmitatis condicioni consonum est; nam in altum sedere, non altum sapere perraro homines contingit; et si humana mens plerumque extollitur etiam cum nulla potestate fulcitur, quanto magis in altum se eriget quando etiam potestas ipsi adiungitur! *Genus, actas, scientia et, quod maius est, cathedrae, primatus praerogativa cui non essent insolentiae fomes, elationis occasio?*¹¹ Sublimissima [ac propterea rara] vivendi ars est culmen tenere et gloriam premere, esse quidem in potentia, sed potentem se nescire! At legimus scriptum: *Respxit Deus humilitatem ancillae suae*¹², et Paulus ad Ephesios: *Ambuletis cum omni humilitate*¹³; qui et Milesiis valedicens nil aptius quam sui regiminis humilitatem ipsis memorare duxit: *Serviens Domino cum omni humilitate*¹⁴. *Memor humilitatis est* [D. commentat Chrysostomus] *quia iis qui praesunt maxime congruit, eo quod facillime in arrogantiam extolluntur*¹⁵. At si meditantibus quidem honores blandiuntur, regiminis tamen onera iuste pensantibus taedio sunt atque formidini!

3. — Superbiae vero medelas paucis nunc recolere est:

a) Pastoris dignitas atque potentia ineptae superbiae causae sunt: nam *Rectorem te posuerunt? Noli extolli; sed esto in illis quasi unus ex illis*¹⁶: neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis *ex animo*¹⁷ legimus scriptum. Quin immo et Servator Noster profiteatur: *Scitis quia principes Gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt, potestatem exercent in eis. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit maior fieri, sit vester minister...*¹⁸ — Dignitas insuper ac po-

¹ Ioann. XI, 10.

² Prov. XXX, 32.

³ Eccles. XIX, 23.

⁴ S. Bernard. De morib. et offic. Episc.

cap. 7.

⁵ Luc. I, 48.

⁶ IV, 7.

⁷ Act. Apost. XX, 19.

⁸ Hom. 44 in cap. 20. Act. Apostol.

⁹ Eccles. XXXII, 1.

¹⁰ I Petr. V, III.

¹¹ Matth. XX, 25.

tentia [quamvis altissimae] non donatae, sed mutuatæ a Deo Ecclesiaque Pastori sunt: non personæ igitur nec naturæ, sed condicionis regimini tantum qualitates ipsæ extant. Quid igitur glorieris de his quæ non tibi, sed aliis debentur? Cuncta, insuper, haec fragilia puerilibusque consentanea crepundiis, quæ gloria atque honores vocantur. Non Pastores inflammet, igitur, honor acceptus, sed exerceat labor impositus: non excellentiam, sed sarcinam cogitent; non glorientur de dignitate, sed potius quasi constituti sub onere, tristentur. *Gloria, enim, Praelati est si seipsum miserum iudicat et infirmum, insufficientem oneri et honore indignum*¹, et nihil splendidius fulget in Praelati cervice quam humilitas²; at non illa quæ ostenditur aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur³.

b) Bonum quod Pastoris in regimine habetur haud sufficiens superbiae causa est. *Non superbias de operibus bonis, quia aliter sunt iudicia Dei quam hominum, cui saepe displicet quod hominibus placet*⁴. Enimvero, nisi S. Spiritus fervor fideles attingeret, in sua insensibilitate frigidi remanerent, et neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus⁵. Potiusquam, igitur, illius Babylonie Duci sequatur exemplum qui, se iactando, clamabat: *manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia*⁶, cum Psalmista ac D. Bernardo humillimum illud Pastor bonus ingeminet: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini Tuo da gloriam*⁷: *nobis miseris da veniam, da gratiam, Tibi serva gloriam*. Qui gloriatur, in Domino glorietur⁸. — Nec bonum quod fideles optime complent Pastores sibi usurpare queunt; quum si membra sine capite nil fere sciunt, ita caput membris orbatum nihili fere valet. Qui, igitur, de operibus quæ fideles expletant laudes sibi usurpat gravi culpa peccat; adulterinae, enim, cogitationis est reus si placere puer Sponsæ oculis appetat per quem Sponsus dona transmittit⁹. Cautius, itaque, et vigilantius providete ne abroget ingratitudo quæ gratia praerogavit, ac omnia quæ vobiscum misericorditer operatus est Deus, suam referatur ad gloriam et non vobis; quo Ioseph imitaberitis qui ad magna evectus, *unum propositum habuit, placere Deo; hoc nulla varietate temporum mutatum est*, nec

¹ Abb. Guerrier. *Exhortat.* IV.

² S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* Lib. II, Indict. III, epist. 54 ad *Ioan. Episcop.*

³ S. Ioan. Chrysostom., Homil. 30 in *Act. Apostolor.*

⁴ *De Imitat. Christi*, Lib. I, Cap. VII.

⁵ I Corinth. III, 7.

⁶ *Deuteron.* XXXIII, 127.

⁷ Psalm. CXIII, 1.

⁸ *Ad Pastores in Synodo.*

⁹ S. Gregorius Magnus, *Reg. Pastoral.* Par. II, cap. 8.

conditione servitutis, nec timore aegyptiacæ potestatis, sed semper unus fuit¹. Ad famam, igitur, tuam gestis ne exultes, sed ad auctorem ducemque Deum cuncta quæ facis referas, ne illi displiceas, cuius quidquid boni agis est totum, neve donum, quod sine merito tuo acceperisti de Coelo, amittas. *Ego pugnavi, sed Deus et pietas vicit*, Maximilianus Bavariae Dux humiliiter fatebatur.

e) Animarum regimine indignum se existimet Pastor. Sancti, enim, viri quum præsunt non potentiam ordinis, sed aequalitatem conditionis attendunt, nec præesse gaudent, sed prædæsse. Pastor bonus aut omni potestate exultur, et si [obedientia cogente] cingitur aliqua, non in illa adeo erigitur ut tumeat, sed ita sub illa curvatur ut humilior Deo et hominibus innotescat. Tunc, potiusquam cum fidelium infirmitate, cum officii dignitate ac onere sese Pastor comparat, atque, honoris augmentum non capit. Quod profecto si dictu facile, opere, e contrario, perdifficile; nam primum dormiens, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres ut quiescas²: vel, ut S. Bernardus explicat, *quod primum tibi importabile videtur, processu temporis non adeo grave: paulo post et leve senties; paulo post nec senties: paulo post etiam delectabis*³. At mel invenisti? *Comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud*⁴. Non te reputes, igitur, aliis meliorem quia crevisti in Pastorem, ne, oppressus a gloria, a Deo scrutatore cordium, qui noscit quod est in homine, deterior habearis.

d) Obedientiae statum Pastor bonus præferat, et, quantum per suam conditionem licet, eum quoque exerceatur; nam dignatio subiectionis, praelatione reddit indignum. Qua, enim, ratione in rerum natura cuncta ad centrum tendunt, ita et in Gratiae condizione ad humilitatem omnia pertrahuntur. Quod si in regimine [ut mox dicemus] humilitas cum auctoritate adeo copulanda est ut disciplina servetur, attamen erga tum fideles, tum suos maiores Praelatos humilitatis obedientiaeque exercendæ causæ haud Pastori desunt. Obedientiam Praelatis maioribus et ipsum præstare eius conscientiae debitum est; quoties vero nostrorum fidelium præclara virtus nos humiliandi occasionem præbet! Prima saepe ipsa nostra iustitia ad examen divinae iustitiae deducta iniustitia est, et, quod in aestimatione operantis fulget, in Iudicis distinctione sordet.

e) Ut suorum peccatorum poenam regimen ipsum Pastor consideret, ut D. Gregorius dolenter ingeminat: *Pro culpis meis in occupa-*

¹ S. Gregor. Magnus, in *Epist. ad Ephes.* cap. III.

² *Prov. XXV*, 16.

³ *De Considerat.* Lib. II, cap. 2.

⁴ *Prov. loc. cit.*

tionum exilium a facie Dominantis missus, quasi destructae Iudeae vocibus cum propheta dico: Qui consolatur me, longe recessit a me¹. Sanctitatem enim, sola gratia Dei confert miserentis, dignitatem vero, plerumque, iudicium irascentis; interdum dominatur homo homini in malum suum² et Sapientia monet. — De cetero si Pastorum commoda cum incommodis componamus, tanto illa ab his, numero ac momento, vinci reperimus, ut revera gravissima poena regimen habendum sit. Enimvero aliquid honoris quod regimen habet, tantis adversantium obruitur molibus ut tam modica mella, tanto emi felle non debeant: aliquid ille blanditur gloriae, sed tantis venenis intingitur ut nemo prudens tanto toxicō natantia fercula adamaverit. Magnitudo vero et quae hanc comitantur veneratio ac libertas, tantis invidientium, detrahentium, malignantiumque insidiis cingitur undique, ut aliorum regimen uti peccati poena reapse existimare liceat. Omne, enim, quod supereminet adeo magis moeroribus afficitur quam honoribus gaudet, ut paelatura, cathedra spinosa ac iter undique confertum aculeis dici possit, et iure meritoque, regnantium coronas aculeatas pictoribus effingere liceat. Enimvero adeo fere cunctis diebus vitae sua [Pastor] comedit in curis multis et in aerumnā atque tristitia³, ut cuncti dies eius doloribus et aerumnis pleni sint, nec per noctem mentem requiescat⁴. Si vero homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et laetitiam; peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam ut addat et congreget, et tradat ei qui placuit Deo⁵. Tam nullam privatam domum tot curis abundare reperies quam paroeciam [in qua omnia, omnibus ac continuo prospicere gravissimum Pastoris debitum extat] ut nemo, nisi ambitiosus vel demens, poenam peccati regimen esse denegare audeat.

*f) Propria errata, potiusquam fidelium tribuere contumaciae, Pastor sibi adiudicet: nam summi Viri, dum de subditorum perfectione dubitant, solliciti valde sunt ne commissae sibi animae, peccatorum suorum indigatione ac manifestatione pereant ac, considerata rei immensitate, deterruntur; totum, enim, quod fecit populus Rectori tribuitur⁶. Pastor, igitur, bonus redeat ad cor, ac in suae mentis sacrario positus, an propriae negligentiae, malo exemplo et officii omissionibus fidelium errata tribuenda sint, coram Domino ipse consideret. *Iustius est ut te accuses, et fratrem tuum excuses*⁷; iudicia, enim, Dei imperscrutabilia*

¹ Epistolar. lib. I, indict. IX, epist. 7,
ad Anastasium.

² Eccles. VIII, 9.

³ Id. V, 16.

⁴ Id. II, 23.

⁵ Id. II, 26.

⁶ S. August. quaest. CXCVI, in Examer.

⁷ De Imitat. Christi, Lib. II, cap. 2.

sunt, et an amore, an odio dignus sit quis hominum novit? Restat itaque, frater carissime, ut inter ea quae operante Deo exterius facis, semper te interius stabiliter iudices, ac subtiliter intelligas... et quanta est in eadem gente gratia..., haec non tibi, sed illis reputes donata pro quorum salute tibi collata est¹.

g) Potentiae suaē ne zelotypia laboret; dignitatem, enim, non praesumentem, et humilitatem non vilescentem pastorali in regimine sectare oportet. Si auctoritatis tutela suadenda est, zelotypia tamen abborrenda semper, qua Pastor, pene infinitis laborando suspicionibus, sibi subditisque pacem aufert ac iustitiam lacessit. At ne insidieris et quaeras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius² Sapientia suadet.

h) Potentiam a persona, personam publicam a privata [aliqua saltem ratione] in se ipso seiungere Pastor curet; nam, haud semper quae primis debentur et coeteris tribuuntur. Si, enim, in medio fratrum Rector illorum cum honore³, attamen Rectorem te posuerunt? Noli extolli, esto in illis quasi unum ex illis⁴ scriptum legimus. Sed quomodo tamquam unus ex illis, manens inter humiles superbis, inter subditos rebellis, immitis inter mansuetos? Idcirco, o Paroche, agnosce dignitatem tuam in Christi cruce, in laboribus ac humiliationibus plurimis, ac [Iob imitatus] dum foris potestatis culmen extollis, deiectionis foveam intus invenias; scilicet, si in honore coram subditis Praelatus es, adeo in timore coram Deo prostratus sis, ut quamvis vocatus sis Pastor, nescias te sublimem.

i) Prosperitatem adversis saepe locum cedere Pastor cogitet. Quum persaepe non duret nec ad ultimum exeat nisi lenta felicitas, adeo inter fortunam maximam atque ultimam nil interest, ut quo prope ad summum, eo proprius ad imum. Quod et ex veteribus probatur historiis, et ab his quae geruntur quotidie: nam multi Potentes oppressi sunt valide, et gloriosi traditi sunt in manus alterorum⁵. In die igitur bonorum ne immemor sis malorum⁶: ecclesiastici, enim, Pastoris praesertim vita quasi mare asperum naviganti! Enimvero si vitae huius cursum veraciter attendamus, nihil in eo firmum, nil stabile invenimus: sed quemadmodum modo per plana, modo per aspera viator graditur, ita nobis in hac vita manentibus nunc prosperitas, adversitas nunc occurrit, alternisque sibi succendentibus temporibus mutua adeo se vice confundunt, ut celerrimum calamitatis initium securitas habenda sit.

¹ S. Gregor. Magn. Epistolar. Lib. I,
Indict. 4, Epist. 28, ad Augustinum E.
piscop.

² Prov. XXIV, 15.

³ Eccles. X, 24.
⁴ Id. XXXII, 1.

⁵ Id. XI, 6.

⁶ Id. XI, 27.